

et Capituli nostri, Sanctimonialia, quae Midelem in maxima paupertate et sine area et regulari custodiâ, habitu tantum monasticam vitam hactenus sunt professae, ad Capellam sanctae crucis, sanctique patris, nomine Willehadi, quae Wolde vulgariter dicitur, sita in Hatheleriâ, quâ fungimur, transtulimus auctoritate, ut oblationum sanctae crucis quae ibi in locô crebrâ à Christi fidelibus visitatur devotione, pascantur, et aedificia construantur, ac libri et alia quaeque necessaria procurentur, et habitis vitae requisitis liberius et devotius reclusae, sub debita custodia castae Altissimo et jugiter famulentur et hoc fiat per easdem reverenter, prout regula, quam profitentur, exigat. Nos dictam sanctam Crucem cum omnibus suis oblationibus sive in trunco sive extra truncum oblatis in summa, et tertiam partem trunci Ecclesiae parroghialis sanctorum videlicet Cosmae et Damiani contulimus earundem Sanctimonialium Praeposito, qui pro tempore praefuerit, et ipsis jure perpetuo possidendam, cum dicta sancta cruce ordinando, disponendo, portando et reponendo, pro ut decreverint, ad ipsius monasterii voluntatem concedimus, et si opus fuerit, ut in praemissa Capella pro tempore receptacula construant pro rebus suis locandis acque reponendis. Cum insuper ipsum Monasterium, quia situm est in medio nationis pravae et perversae, quae magis incendit enormibus et illicitis, quam Dei placitis intendere videatur, unde, si quanquam contigeret, dictam Monasterium alias transferri, quod absit, praefatam sanctam Crucem cum aliis reliquiis secum deportare licite possint. Igitur si aliquis malignô inflammatus spiritû ipsâ